



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 21. Legati Synodi continuationem declare a Papa jussu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

litatis fit, nemine contradicente de iis disputare: addebant porro hæc: „An-  
„gliæ Orator in Gallia significavit, quod  
„ejus Regina decreverit, quosdam mit-  
„tere ad Concilium, quinimo verosimile  
„videtur ceteros Protestantes idem fa-  
„cturos, indeque secuturam generalem  
„eorum, qui ab Ecclesia secesserunt,  
„ad eandem unionem; nam id effectui  
„esse dandum nemo ambigit, dummo-  
„do seria reformatio præcedat., Ad  
secundum hoc postulatum Cardinalis  
Simonetta respondit, quod emendatio-  
nis negotium videatur quidem facile,  
re tamen ipsa valde arduum fit, cum  
id in beneficiorum dispositione omnino  
consistat, istique abusus a Regibus,  
ac Principibus potissimum proficiscan-  
tur. (\*)

## §. XXI.

*Legati Synodi continuationem decla-  
rare a Papa jussi.*

Hæc cum interim gererentur, Roma  
Nuntius venerat, per quem Papa  
Legatis præcepit, ut in proxima Ses-  
sione Synodi continuatio Hispanis pro-

*Pallav. l. 16.  
cap. 12. n. 1.  
§ 2. litt.  
Legat. ad  
Borrom.  
26. Maji  
apud Pallav.*

D 5

missa

(\*) His addit Suavis, seu Sarpus: *his  
verbis Oratores cunctos pupugit propter nomi-  
nationes, aliaque jura, quæ Reges exercent, ac  
præ aliis Rex Galliarum.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

missa declararetur. Hoc mandato cum consilia nuper coepta penitus dissipari viderentur, haud parum turbabantur Legati, unde datis ad Papam literis difficultates, quæ hujus mandati executioni obstarent, exponere, simulque rogare statuerunt, ut ambo decreta usque ad Sessionem Mense Junio ad medium vergente celebrandam differri pateretur: cum autem hoc Pontificis mandatum sollicitantibus Hispanis fuisset datum, hinc Marchionem Piscarium, ut a sua petitione desisteret, rogare decreverunt, atque ad ejus consensum eo facilius obtinendum Legati eidem fidem dedere, quod præprimis decreta, quæ fidem concernunt, in Sessione Mense Julio habenda, sint promulganda, atque res ibi prosequenda, ubi Synodus sub Julio III. Papa cessaverat, cum re ipsa id ipsum esset idem, ac Synodum priorem continuare, quamvis hoc nomen *Continuatio* disertis verbis non exprimeretur. Hæc ingeniosa litis compositio Marchioni Piscario alias juris sui tenaci mire placuit, moxque is Legatorum voluntati cessit: insuper Galli, quamvis nil inausum antea reliquissent, ut novum Concilium celebrari declararetur, nunc magis faciles, atque obsequiosos sese exhibebant, ac nihil decidi consentiebant: eapropter ex hac animorum

morum concordia Legati ab angustiis, Sæc. XVI.  
 in quas ob hæc diffidia conjiciebantur, A.C. 1562.  
 aliquamdiu respirare cœperant: cum  
 autem nova supervenirent Pontificis Lit. Papæ  
 mandata, brevi eorum serenitas fuerat ad Legat.  
 turbata; missis enim literis Papa Le- 30. Maji.  
 gatis hæc significabat: „omnino volo apud Pall.  
 „satisfacere sine ulla amplius mora plu- n. 2. cap. 12.  
 „rimis promissis, quæ ipse dederam  
 „Hispaniæ Regi, atque regius Orator  
 „Vargas in postremo ad me accessu vehe-  
 „mentius, ardentiusque, quam unquam,  
 „adimpleri petierat; nam aliunde hoc  
 „etiam convenit, tum dignitati Concilii,  
 „quod sub meis Prædecessoribus cœ-  
 „ptum nunc continuari semper in  
 „animo habui, idque sæpissime profes-  
 „sus sum palam in Senatibus, cœtibus-  
 „que Cardinalium, & coram Oratori-  
 „bus Principum, ac præcipue Cæsaris,  
 „cui etiam communicabam promissio-  
 „nes scripto traditas Philippo Regi:  
 „certum autem est nullum Divinæ glo-  
 „riæ commodum in illius declarationis  
 „dilatione reperiri, & quo amplius ea  
 „protraheretur, eo in majores difficul-  
 „tates impingi, præsertim cum Catho-  
 „lici, quando hæretici restitui non pos-  
 „sunt, conservandi sint; nihil quoque  
 „huic negotio adversatur securitatis fi-  
 „des Protestantibus data, cum adhuc  
 „illi excipi, audiri que possint Synodo  
 con-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

„continuata, ubi reliqua dogmata agi-  
„tabuntur: de cetero confido, nequa-  
„quam tam gravi molestiæ id amplius  
„Cæsari futurum, quam nunc ille osten-  
„dit, eoquod hæc sola dilatio hunc  
„Principem adeo obfirmatum reddi-  
„disset.

## §. XXII.

*Altempsius Cardinalis a Legatis Ro-  
mam deputatus ad mutandam  
Pontificis sententiam.*

*Pallav. c. 12.  
num. 3.*

Hæc quidem mandata satis clara e-  
rant, nec tamen tollebant obsta-  
cula, quæ illorum executionem præpe-  
diebant: quapropter Legati probe con-  
scii, quod intempestiva obtemperandi  
promptitudine Synodum dissolutionis  
periculo exponerent, summumque Pon-  
tificem Cæsari, ac Galliarum Regi in-  
fensum redderent, necnon universi  
pene Christiani Orbis indignationem  
nimio Hispanis obsequendi studio in-  
currerent, hinc prompte Romam Al-  
thempsium Cardinalem Papæ Nepotem  
ablegare decreverunt, qui Patruo suo  
omnes hæc difficultates exponeret:  
verum pridie, quam discedebat Cardi-  
nalis, aliæ Pontificis literæ prioribus  
magis acceptæ afferebantur, quibus Al-  
thempsii iter impediabatur.

## §. XXIII.